

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi  
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor  
Angelicus cum Melliflvo,)**

**Schweitzer, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.**

Responsio secunda. Adhuc extat Paradisus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39320**

Dubium Secundum.

3

Respondeo & dico primo : Paradisus secundum Augustinum est locus corporeus. Probatur ex l. 8. de gen. ad lit. cap. 1. ubi ait: secundum hanc suscepit nunc loqui de Paradiſo, quod Dominus donare dignabitur, ut homo factus esimo, quod utique corpus humanum est, in paradiſo corporali collocatus intelligetur, & ibidem vocat locum amoenissimum, fructuosis nemoribus opacatum, eundemque magnum, & magno fonte secundum, &c. ex quo nempe fonte egrediebatur fluvius postea in quatuor flumina divisus, quæ sub terris abscondita eruperunt in diversis mundi partibus; ut testatur Sanctus Augustinus l. 8. de gen. ad lit. cap. 7. dicens, cum potius credendum sit, quoniam locus ipse paradiſi à cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividit, sicut fidelissima scriptura testatur, sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi esse sub terras, & post tractus prolixarum regionum locis alijs erupisse, ubi tanquam in suis fontibus nota esse peribentur. Vide S. Bernardum serm. 3. sup. Salve R. & serm de ligno fœno & serm. 1. 1. in festo om. SS. Ep. 1. ad Robert.

Obijcies: 1. ad Cor. 12. dicit Apostolus, se fuisse raptum in paradiſum; ergo paradiſus non est particularis & visibilis terræ locus. Respondeo distinguendo consequens; ergo paradiſus, in quem raptas fuit Apostolus, non est particularis & visibilis terræ locus, concedo; ergo paradiſus, in quo positus fuit primus homo, non est talis locus, nego consequentiam.

Dico secundo : adhuc extat paradiſus. Probatur ex Augustino, qui l. 1. de peccato. merit. cap. 3. afferit,

A 3

quod

quod Enoch & Elias in paradiſo de ligno vite pascantur. Neque enim, inquit, Enoch & Elias per tam longam aetatem senectute marcerunt; sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant sicut etiam illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aqua, & ex Collyride panis sine cibo vixit: aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in paradiſo pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisse &c lib. 2. c. 23. ait, paradiſum esse, fides Christiana non dubitat.

Magistro adhaeret discipulus S. Thomas 3. p. qu. 49. a. 6. ad 2. dicens: *Enoch raptus est in paradiſum terrene stram, ubi cum Elias simul creditur vivere, usque ad adventum Antichristi.*

Obijcies primo: paradiſus à nullis hominibus repertus fuit: ergo non est credibile, quod adhuc extet: Respondeo negando consequentiam. Deus enim eum occultat, juxta illud Augustini lib. 8. de gen. ad lit. cap. 1. *sicut occulto opere dei factus est, ita peculiari curâ & providentiâ ipsius est occultatus.* Sanct. Thomas 1. p. quæst. 102. a. 1. dicit: *esse à nostra habitatione seclusum aliquibus impedimentis.*

Obijcies secundo: Si paradiſus existiterit, fuit deſtructus per deluvium: ergo modo non extat. Respondeo negando antecedens; fuit enim à Deo conſervatus.



## DUBIUM